



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Confessio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

tentiam in subditam, quam Sacerdos ex vi puræ approbationis non recipit.

117. Quæritur. An examen idoneitatis Regularium, non solum quoad scientiam, sed etiam quoad mores spectet ad Episcopum?

Resp. Spectare utique, nam ita constat *Ex Clementina citata, quæ incipit: Superna &c.* Videatur Bulla.

C O N F E S S I O.

118. **Q**Uæritur. An qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfaciat præcepto Ecclesiæ annuæ Confessionis?

Resp. Extat propositio affirmativa 14. inter damnatas ab Alex. VII. & jure merito, quia, qui sic confitetur, non adimplet rem præceptam, etenim tam Christus, quam Ecclesia præcipiunt Confessionem veram cum necessario dolore, proposito, & absolutionis receptione, qui autem sua culpa invalidè confitetur, non verè confitetur, imò peccat peccato omissionis non adimplendo præceptum, & peccato commissionis sacrilegium committendo per Confessionem invalidam.

119. Quæritur. An satisfiat præcepto Ecclesiæ per Confessionem validam quidem, sed informem ex defectu doloris extensivi, ut contingit, quando quis habens duo peccata, puta furti, & homicidii, dolet attritione supernaturali de solo homicidio, & invincibiliter oblitus de furto, solum confitetur homicidium, & de eo absolutionem obtinet?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia Ec-

clesia præcipit tantum susceptionem hujus Sacramenti, non verò ejus fructum, modò pœnitens bona fide Sacramentum suscipiat, credens se esse sufficienter dispositum, quare sicut satisfacit præcepto Ecclesiæ audiendi Missam, qui illam audit in statu peccati mortalis, non percipiendo ejus fructum, quia non præcipitur fructus Missæ, sed ejus auditio, quamvis præcipiatur ob fructum, tanquam ob finem extrinsecum præcepti, qui sub præceptum non cadit, ita in casu nostro.

120. Quæritur. An præcepto Communionis Paschalis satisfiat pariter per Communionem validam, & informem, quæ contingit, quando quis oblitus invincibiliter alicujus mortalis commissi accedit ad Sacramentum Eucharistiæ cum aliis actibus virtutum citra dolorem peccatorum?

Resp. Satisfieri, si fidelis credens se esse sufficienter dispositum, bona fide accedat ad Sacramentum, quòd reverà sacrilegè non suscipit, immò est probabile, quòd si is accederet cum attritione supernaturali haberet virtute hujus Sacramenti vivorum primam gratiam, unde Sacramentum esset formatum.

121. Quæritur. An Meretrices, publici usurarii, & alii similes, qui sua peccata confitentur, sed occasiones proximas deferere nolunt, satisfaciant Confessionis præcepto?

Resp. Negativè, nam hi, aliivè, qui in proxima occasione peccandi voluntariè versantur, voluntariè etiam faciunt Confessionem nullam, atque adeò præcepto Confessionis minimè satisfaciunt, quamvis

VIS

vis à Confessario indocto, aut sacrilego absolvantur; si verò occasio proxima esset involuntaria, & relinqui non posset citra gravem infamiam, vel scandalum, tunc pœnitens, concurrentibus circumstantiis in *V. Occasio proxima notatis*, absolvi posset, & sic dicto præcepto utique satisfaceret.

122. Quæritur. An dicto præcepto satisficiat, qui facit Confessionem nullam, non culpa sua, sed Confessarii carentis jurisdictione, vel absolventis absque debita intentione?

Resp. Affirmativè, si defectus Confessarii hic, & nunc non sint noti pœnitenti, ratio est, quia is non voluntariè, sed inculpabiliter fecit Confessionem nullam; tenebitur tamen Confessionem iterare, si postea fuerit conscius de ejus nullitate.

123. Quæritur. An qui toto anni tempore iusta, vel injusta causa præceptum Confessionis non implevit, teneatur postea, cum primum poterit, confiteri?

Resp. Tenetur, nam tempus non est appositum, ut expiret præceptum, sed ad obligationem statuendam, & ne diutius differatur Confessio; & toties peccat, quoties, oblata occasione, omittit confiteri.

124. Quæritur. An prævidens tempore Paschali, vel toto anno sequenti sibi defuturam copiam Confessarii, teneatur anticipatè satisfacere huic præcepto?

Resp. Affirmativè, quemadmodum, qui die festo prævidet, se non posse audire ultimum Sacrum, tenetur audire unum ex præcedentibus, quia utrumque tempus videtur respici à præcepto, quoad substantiam spectato; verùm confessus extra tempus Paschale, tenetur etiam tempore Paschali confite-

ri, si possit, quamvis non habeat nisi solum venialia, quæ in praxi probabilior, & tutior sententia est.

125. Quæritur. An qui in Paschate confessus est venialia, & postea recordatur alicujus mortalis, teneatur iterum confiteri, ut præcepto Confessionis satisfaciatur?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia per Confessionem venialium satisfecit solum præcepto Ecclesiastico, ergo ut satisfaciatur etiam divino, debet confiteri ea, quorum Confessio etiam à Christo Domino est præcepta.

126. Queritur. An qui confitetur Regularibus ab Ordinario approbatis dicto præcepto satisfaciatur?

Resp. Affirmativè, quia ita declaravit *Clemens X. in sua Const. qua incipit: Superna &c.* Nec tenetur iterum confiteri Parochiali Presbytero.

127. Quæritur. Quomodo Confessarius se gerere debeat cum Meretrice, quæ tempore Paschali accedit ad Confessionem, ut satisfaciatur dicto præcepto?

Resp. Advertat, an sit in actuali peccato, & Meretricio, & quatenus invenerit non esse, interroget à quanto tempore cessaverit à peccato, an domum peccati mutaverit? & alibi extra occasionem peccandi habitet? Meretricias vestes dimiserit? Personas de sua vicinia, quibus scandalum præbuit, novæ conversationis ædificavit exemplo? si litteras amatorias fregerit, imagines amatorum alienaverit? an alicujus turpi stipendio vivat? si hoc ultimum neget, & super cæteris affirmet, videat, an se accuset de peccatis, quoad numerum, species, & circumstantias necessarias, quantum

tum

num possibile est. Quod si petat à Confessario, ut interrogationibus pro exacta Confessione juvetur, præmissis communibus, interrogetur 1. à quanto tempore fuerit in peccato. 2. si peccaverit cum habentibus votum Castitatis, Uxoratis, & Consanguineis. 3. si modò præpostero in vase non naturali. 4. si occidit prolem, & procuraverit abortum. 5. si à Religiosis, & filiis familias aliquid restitutioni obnoxium accepit. 6. si fuit causa inimicitæ, homicidii, & discordiarum. 7. si ad peccandum adhibuit veneficia, præsertim amatoria, superstitiones &c. 8. si alios, vel alias ad peccandum induxit. 9. interrogetur de impuris cogitationibus, locutionibus, canticis, pollutionibus, commestationibus, & potationibus illicitis, 10. de Sacramentis, Missis, jejuniis neglectis. 11. de vano, & superfluo ornatu ad allicendum ad peccandum. 12. si cum esset infecta gallico morbo alios infecit. 13. de præcepto annuæ Confessionis, & Communionis. 14. de sacrilegiis commissis, & de excommunicationibus contractis &c. & inspecto ejus dolore, & proposito efficaci non peccandi de cætero, & suppositis reliquis ad validam, & licitam absolutionem necessariis, eam absolvat, & in pace dimittat.

128. Quæritur. An qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato, satisfaciat annuæ Confessionis præcepto?

Resp. Propositio affirmativa 13. expressè ab Alexandro VII. est damnata, & meritò, quia ex ea sequerentur innumera incommoda, quilibet enim Regularis posset facile se-
ido-

idoneum reputare, & Confessiones sæcularium audire, Prælatiſ relucantibus, & ratio præcipua eſt, quia Tridentinum ad hæc incommoda vitanda ſtatuit, ut nullus Regularis poſſit non ſolum licite, ſed nec valide Confessiones sæcularium audire abſque Epifcopi approbatione, revocando privilegia in contrarium; & Urbanus VIII. in Bulla: *Cum ſicut accepimus &c.* ad firmandum ſaluberrimum hoc Trid. præceptum revocavit, & annullavit omnia, & ſingula indulta Regularibus conceſſa audiendi Confessiones sæcularium abſque Ordinarii examine, & approbatione.

129. Quæritur. An ſatisfaciat Confessionis præcepto, qui confitetur Sacerdoti Regulari ab Ordinario loci approbato, non autem à proprio Prælato?

Reſp. Affirmative, ratio eſt, quia etſi illicitè, valide tamen excipiunt Confessiones sæcularium Regulares ab Ordinario approbati, licet hoc faciant abſque ſuorum ſuperiorum licentia.

130. Quæritur. An familiares, & continui commenſales Monafteriorum, qui confitentur Regulari à ſuperiore ſuo, non autem ab Ordinario loci approbato, præcepto dicto ſatisfaciant?

Reſp. Affirmative, nam ita conſtat ex Tridentino cap. II. ſeſſ. 25. de Regularibus, & aperte ex Conſt. Clément. Superna &c. ubi notandum, quod familiares, & continui commenſales dicuntur Tertiarii S. Franciſci, Oblati S. Dominici &c. Qui panno ejuſdem, quo profeſſi, vel etiam alterius coloris utuntur, intra Monafterii ſepta habitant, & dormiunt, proinde in eis contraxerunt domicilium, & vivunt ſub
obe-

obedientia Prælati, non modo religioso, & ratione voti, sed modo servili; sæculares verò qui domicilium non contraxerunt in Monasteriis, sed eis inserviunt stipendio, & salario conducti cum cæteris sæcularibus exteris connumerantur.

131. Quæritur. An Mulieres tertii ordinis, quæ de pœnitentia vocantur, satisfaciant dicto præcepto si confiteantur Regularibus ab Ordinario non approbatis?

Resp. Negativè, nam ita in terminis declaravit *S. Cong. Episcoporum, & Regularium* 20. Decembris 1616.

132. Quæritur. An habens solùm venialia, si confiteatur Sacerdoti non approbato eidem præcepto satisfaciat?

Resp. Negativè, ratio est, quia Tridentinum pro excipiendis Confessionibus exigat absolutè approbationem, & non distinguit, an sit mortalium, an venialium Confessio; confirmatur ex *S. Congr. decreto de Communionem quotidiana edito sub die 17. Febr. 1679. ab Innoc. XI. approbato*; ubi dicitur non permittant Episcopi, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti ab Ordinario non approbato &c.

133. Quæritur. An qui confitetur Prælati Regularibus ab Ordinario non approbatis, vel Lectoribus, aut in Jure, vel Theologia laureatis, cum hi juxta aliquorum sententiam non indigeant Episcopi approbatione ad Confessiones audiendas, dicto præcepto satisfaciat?

Resp. Nequaquam satisfacere ratio est, quia tam Prælati Regulares, cum propriè Parochi non sint, quàm Lectores, ac Doctores in Jure, vel Theologia indigent Or-

di-

dinarii approbatione, ut constat ex Trident. verbis, ac proinde sententia affirmativa Per S. Inquisitionis Tribunal anno 1640. fuit reprobata.

134. Quæritur. An ratione magni concursus liceat Confessionem dimidiare?

Resp. Negativè, ratio est, quia præceptum divinum integritatis Confessionis obligat ad confitendum peccata omnia, quæ sunt in conscientia, ut patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. de Sacrament. Pœnit. dum non est impossibile physicè, vel moraliter confiteri omnia, sed ratione magni concursus nulla ratio impossibilitatis relucet in eo, quod Confessiones longo tempore duraturæ rejiciantur in tempus opportunius, ergo &c. Casus enim omnes, in quibus DD. concedunt dimidiari posse Confessionem, reducuntur ad impossibilitatem physicam, vel moralem, ut singulos perpendenti patebit, lege prop. 59. inter damnatas ab Innoc. XI.

135. Quæritur. An ratione periculi non redeundi ad Confessionem liceat eam dimidiare?

Resp. Non licet, quia talis circumstantia non affert impossibilitatem moralem faciendi Confessionem integram, nam periculum non redeundi oritur à depravata ipsius pœnitentis voluntate, quando tale periculum est voluntarium, neque si esset involuntarium posset dimidiari Confessio, nam tunc Confessarius, qui videt adesse id periculum non redeundi, tenetur audire integrè illam Confessionem, quia si nolit audire integrè, ne reliquis deficiat locus, & occasio confitendi, certum est, quod præcipua, immò, & tota causa dimidians
di

di Confessionem erit ipse concursus Confessionum.

136. Quæritur. An utrumque simul, & concursus Confessionum, & periculum non redeundi sit sufficiens causa dimidiandi Confessionem?

Resp. Negativè, nam si (non obstante concursu confitentium) Confessarius audiat Confessionem integram pœnitentis, dispareret omnis causa dimidiandi illam, sed nulla impossibilitas moralis est in eo, quod stante eo concursu, audiatur illius Confessio integra: ergo nulla impossibilitas moralis resultat, ex utroque simul.

137. Quæritur. An possit dimidiari Confessio, cum futurum est notabile, quod absineant à Communionem illi, quorum Confessio dimidiatur?

Resp. Non posse, nisi hæc notabilitas transeat ad scandalum, aut infamiam gravem, & hoc non est relinquendum iudicio pœnitentis qui forsitan ex levissima causa putabit, sibi orituram infamiam, sed iudicio Confessarii prudentis gravitas infamiæ, aut scandali pensanda est.

138. Quæritur. An possint Confessionem dimidiare rustici, & peregrini, cum accedunt bona fide, & cognoscit Confessarius, eos non esse sufficienter instructos, neque examinatam eorum conscientiam, si instat tempus discedendi, & multitudo pœnitentium non permittit Confessarium melius instruere?

Resp. Negativè, ratio est, quia ea propositio ultra circumstantiam concursus pœnitentium, solum addit circumstantiam, quod instat tempus discedendi, & hoc non affert impossibilitatem moralem faciendi.

Con-

Confessionem materialiter integram, & tunc sola poterit dimidiari Confessio in proposito casu, quando superaddantur aliæ circumstantiæ, nempe pœnitentis ruditas, stoliditas, & incapacitas examinandi conscientiam suam, periculum animæ peregrini, qui fortassè transacta hac occasione non possit, nisi transacto tempore diuturno redire ad Confessionem, item quod Confessarius suis interrogationibus pœnitentem adjuvet, ita ut talis pœnitens confiteatur quicquid recordatur adjutus à Confessario, & quod hoc examen factum per præfatas interrogationes si non possit exactè perfici quia Confessarius opprimitur multitudo Confitentium, absolvatur, cum onere accedendi iterum ad Confessionem cum majori examine a se, vel à Confessario per interrogationes faciendo; quæ ultima circumstantia sic intelligitur, ut Confessarius oppressus, & fatigatus ea multitudo non sit aptus ad faciendas interrogationes tam exactè, & attentè, ac si non habuisset tantum laborem.

139. Quæritur. An si indie alicuius festivitatis unus tantum sit Confessarius, & pœnitens bona fide Confessionem incœperit per horas protrahendam, ita tamen, ut non possit vitare scandalum, si deinde non communicet, & nisi dimidietur Confessio, etiam omnes alii absque Confessione, & Communionem, discedent, an inquam in tali casu licitum sit Confessionem dimidiare, ne alii hoc bono spiritali priventur.

Resp. Si non solum sit scandalum, aut infamia, si pœnitens sine absolutione di-

missa

missus non communicet, sed etiam sit scandalum, aut infamia ipsa protractio Confessionis ad horas, dum alii diù expectantes fremunt, impatienter sustinent, finire judicant, in tali casu potest Confessio dimidiari ad scandalum vitandum, sicut omnes docent, quod possit Confessio dimidiari ad vitandum scandalum, quando Parochus detulit Sacrum Viaticum Moribundo, & dum vult ille reconciliari, videt Confessiones præteritas esse necessario repetendas, nec posse id fieri sine magna populi expectantis admiratione: vel nullum adest scandalum, aut infamia, per hoc quod pœnitens diù protrahat Confessionem, ut passim accidit, sed solum habetur querela illa pœnitentium; quod non possint illi confiteri, & hæc non est sufficiens ratio Confessionem dimidiandi; quare ad summum poterit pœnitenti suaderi, quod ad vitandas aliorum querelas recedat sine absolute, ac deindè redeat, tanquam manifestaturus peccatum aliquod oblitum, & interim det locum aliis.

140. Quæritur. An superior, auditis tantum reservatis, possit absolvere sacramentaliter pœnitentem, & remittere illum aliis Confessariis pro absolute à non reservatis?

Resp. Non posse, ratio est, quia non datur ratio per se loquendo sufficiens, cur possit superior absolvere sacramentaliter pœnitentem dimidiatè, hoc est à reservatis tantum; potest enim ab excommunicatione extra Sacramentum absolvere, ac tollere reservationem, & sic remittere pœnitentem, ut ab inferiori à reservatis simul,

mul, & non reservatis Sacramentaliter absolvatur.

141. Quæritur. An possit dimidiari Confessio aperiendo inferiori solum non reservata, quando non potest adiri superior propter reservata, idque non solum quando hoc expedit ad vitandum scandalum, aut infamiam, sed etiam ne quis per longum tempus differat Confessionem, & Communionem?

Resp. Affirmativè, si longa temporis mora interjicienda est, antequam superior adiri possit, ratio est, quia sicut dimidiari potest Confessio ad vitandum scandalum, aut infamiam, eo quod præceptum de integritate Confessionis non obliget cum gravi incommodo, ita dimidiari potest Confessio in casu adducto, eo quod gravissimum incommodum sit diù carere gratia Sacramentali remissiva peccatorum, & auxiliis gratiæ ad vitanda peccata in posterum, necnon gratia Eucharistica, præsertim, quia peccatori diù in statu peccati mortalis degenti difficilis est contritio, unde periculum mortis, & æternæ damnationis non esset remotum, ad quod vitandum potest dimidiari Confessio, aut aperiendo inferiori tantum non reservata; aut aperiendo omnia: ita tamen ut absolutio à reservatis sit solum indirecta, atque adeò com onere comparendi coram superiore.

142. Quæritur. Quanta debet esse hæc temporis mora, quæ sufficiat, ut possit inferior absolvere pœnitentem directè a non reservatis?

Resp. Quamvis nonnulli doceant sufficere

cere

tere spatium unius noctis, quia potest qualibet nocte periculum mortis, & æternæ damnationis imminere, juxta illud *Luce 12. Stulte hac nocte animam tuam repetent à te:* Communissimè tamen hanc sententiam DD. rejiciunt, eo quod pariter posset sufficere hora, quia qualibet etiam hora potest hujusmodi periculum imminere; unde hoc temporis spatium arbitrio prudentis, ac docti viri decernendum est, attentis circumstantiis personæ, distantia, & impotentia adeundi superiorem.

143. Quæritur. An peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, vel ob aliam causam teneamur in sequenti Confessione exprimere?

Resp. Affirmativè, ut patet *ex propositione 11. inter damnatas ab Alexandro VII. quia ex Trident. sect. 14. cap. 3. Christus Dominus Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; ergo ex lege Christi Domini ad hoc Tribunal deferenda sunt omnia mortalia, nisi detur aliud quod impedimentum legitimum, quo sublato obligatio divinæ legis statim urget, atque aded peccata, quæ aliquando propter oblivionem, aut aliam causam omissa sunt, cessante hac causa, tenemur in alia Confessione exprimere, & hic est usus, praxis, & sensus Ecclesiæ: Ex quibus sequitur 1. quod peccatum manifestatum in Confessione ut dubium se habet instar peccati obliti, ita ut si deprehendatur deindè ut certum: debeat iterum subjici clavibus ut certum: sequitur 2. quod qui dicit in Confessione, se decies circiter peccasse prout meminit, si deindè advertat, se peccasse*

undecies, non tenetur iterum illud undecimum peccatum subicere clavibus, quia jam subjectum fuit prout erat in conscientia, atque adeò directè absolutum; sed hoc intelligitur solùm quando extenditur ad unum, vel duo peccata supra numerum indicatum, non autem quando ad plura: sequitur 3. quod si probabilis numerus peccatorum haberi non possit, confiteatur tamen consuetudo, vel frequentia, aut saltem tempus, non tenetur quis iterum subicere clavibus numerum certum, de quo recordatur postea, quia in illa accusatione consuetudinis Peccandi, temporis, vel frequentia in Mense, vel in Hebdomada &c. includitur ille numerus, de quo postea recordatur, & peccata omnia manent directè absoluta.

144. Quæritur. An possint sustineri duo sequentes propositiones, altera scilicet, quod Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sint, vel invalidæ; altera verò quod Parochus possit suspicari de mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu luerum subsidii temporalis?

Resp. Supponendo, quod Novatores veluti deplorantes amissam antiquam Ecclesiæ severitatem in pœnis infligendis juxta Canones pœnitentiales, ac zelum simulant invehuntur adversus Religiosos, & præsertim Mendicantes (à quibus eorum falsa doctrina quàm maximè impetitur) ac docent laxitatem in Sacramento pœnitentiæ à Religiosis inductam esse, ut proinde Confessiones apud ipsos factæ, ut plurimum

mum

num vel sacrilegæ sint , vel invalidæ , eo quod ob facilem aditum , quem pœnitentes habent ad Religiosos , à quibus leves pœnitentiæ imponuntur , sæpe deficiat propositum non peccandi de cætero ad validitatem Sacramenti , & ad veniam à Deo obtinendam prærequisitum ; Docent præterea , nimiam in pœnitentia imponenda Mendicantium benignitatem oriri ea spe subsidii temporalis à pœnitentibus obtinendi , ut idcirco possit Parochus suspicari , quod ab iis nimis leves , & peccatis longè impares pœnitentiæ hac de causa imponantur .

His suppositis dico , quod , neutra ex his propositionibus potest sustineri : nam utraque est expressè ab Alexandro VIII. damnata ; ratio est , primo quia præsens consuetudo Ecclesiæ in administrando pœnitentiæ Sacramento , etsi benignior , non differt substantialiter ab antiqua , licet severiori 2. rigorem antiquum in pœnis infligendis ante adventum Mendicantium Ecclesia remisit , atque adeo , si quis doleat , quod rigidior illa disciplina exolverit , non debet id Mendicantibus ascribere 3. cum Mendicantes maximè omnium idonei sint ad hoc Sacramentum administrandum ob diuturnum eorum studium , ob longam experientiam , ob continuam inter doctos , & Doctores his de rebus agentes , consuetudine ; & ob specialem vitæ immaculatæ professionem , ut idcirco innumeris privilegiis à Summis Pontificibus sint locupletati , suspicari , quod ab iis nimis leves , & incongruæ pœnitentiæ , seu satisfactiones ob spem subsidii temporalis pœni-

tentibus imponantur, est gravissimum peccatum, hominibus piis, ac doctis tam grave scelus attribuendo, quod scilicet aliorum culpis obspem lucri coniveant.

CONSUETUDO PECCANDI.

145. **Q**uæritur. An detur discrimen inter consuetudinem & occasionem proximam peccandi?

Resp. Dari utique, nam omnis occasio proxima plerumque affert consuetudinem peccandi, quamvis aliquando possit esse sine tali consuetudine; consuetudo autem peccandi plerumque datur sine occasione proxima, ut patet in eo, qui frequenter se polluit, pejerat, detrahit &c.

146. Quæritur. An Confessario interroganti teneatur pœnitens fateri consuetudinem peccandi?

Resp. Tenetur fateri, juxta decretum Innoc. XI. damnantis *prop. 58*. Ratio est, quia cum Confessarius non possit absolvere pœnitentem nisi rectè dispositum, ad hoc ut absolvat, debet habere credulitatem saltem probabilem de recta pœnitentis dispositione, habet ergo jus inquirendi, an pœnitens habeat propositum non peccandi, cum igitur diuturna consuetudo peccandi soleat difficiliorem reddere efficaciam propositi, poterit interrogare de tali consuetudine, & de animo illam amputandi, ut ita cognoscat, quale sit propositum pœnitentis, & an ille sit ritè dispositus; deindè quia Confessarius debet consulere pœnitenti ea media, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum, sed